



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tractatus De Schismate

Longueval, Jacques

Lovanii, [1718]

§. I. Character historicus Novatiani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64915)

CAPUT XV.

Characteres historici Episcoporum
qui Schismatum Auctores
fuerunt.

§. I.

Character historicus Novatiani.

Timorem Schismatis sæpè expellit aucto-
ritas pietasque apparens eorum, qui
factionis sunt duces. Sequentes characteres
Catholicos reddent cautiore.

Novatianus affectatâ quadam modestiâ,
morum gravitate & eximiâ eloquentiâ sum-
mam sibi apud omnes comparaverat auctori-
tatem. Hâs animi dotes corrumpit ambitio oc-
cultâ, quam incendebat Novatus spe obti-
nendi Pontificatum. Prælatus sibi S. Corne-
lium æquo animo ferre non potuit. Ad novi
Pontificis contemptum impulit hominem hy-
pocrisis, ambitio, vindicta. Hæc vitia, ne
apparerent, tegebat fûco Moralis severioris.
S. Cornelium Christi mansuetudinem imitan-
tem accusabat nimix erga peccatores lenita-
tis, quos ipse supercilio Pharisaicò repellen-
dos censebat, eo tyrannicæ crudelitatis fa-
ctu, ut ne in mortis quidem articulo recon-
ciliandos Deo admitteret ad poenitentiam:
quod nihil aliud erat, quàm ipsum Poeniten-
tiæ Sacramentum de medio tollere discipline
rigidioris prætextu.

At quàm horrenda patravit rigidus ille
Moralis purioris buccinator? Famam Sancti

L

Ponti-

Pontificis proscidit calumniis atrocibus : jurandum , quo obstrinxerat sese ne Pontificatus honorem admitteret , violavit : Epistolas in Pontificem infames jussit conscribi : quaedam etiam sub ementito Confessorum nomine falsas suppoluit : missis quaquaversum exploratoribus ad rebellionem sollicitavit Ecclesias : populo priusquam Sacram Eucharistiam distribueret , utriusque singulorum manibus prehensis dixit ; *Jura mihi per Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi , quod me nunquam deserere , & ad Cornelium reverti velis.* Atque ad hæc omnia à Clero suo compulsus se fuisse hypocrita ille testatus est : ad quem S. Dionysius Alexandrinus sequentem scripsit Epistolam : *Si invitatus impulsus es , sicut dicis , declarabis hoc si voluntarius redieris. Oportebat quidem nihil non ferre ne Ecclesiam Dei scinderes. Nec est martyrium hoc , Ecclesie non scindenda gratia toleratum , minoris gloria quam quod fertur propter idololatriæ recusationem. Immo meo judicio majoris etiam gloria est. Nam illic pro una quidem anima martyrium toleratur ; hic verò pro universa Ecclesia. Jam verò si persuaseris fratribus , vel coegeris etiam ut ad concordiam redeant , majus erit factum hoc tam egregium , quam delictum quod precessit : & illud quidem non imputabitur , hoc verò laudabitur. Si verò immorigeris persuadere nequiveris , servando serva tuam ipsius animam. Salvum te paci in Domino adhaerentem esse cupio.*

Uti res nulla alia , ita nec Epistola hæc flexit Novatiani animum superbia & vindictæ studio excæcatum. Hominem avidissimum gloriae retinebat laqueo Schismatis irretitum , quod esset factionis numerosæ caput & Princeps ;

Apud. Eu-
feb 16.
Hist Ec-
cles. cap. 42

Ibid. cap.
45

ceps; cujus favore & instinctu eò venerat audaciæ & impietatis. Nec minores pertina-
ciæ stimulos addidit fama sanctitatis, quam in ipso & partiaris ejus suspiciebat, simplex multorum credulitas. *Cathari*, id est, *puri* vocitabantur; & patrata ab ipsis narrabantur prodigiosa quædam miracula: quod fanaticæ vanitatis figmentum recentissimè ad honorem factionis renovatum audimus ab iis, qui hodie Gallicanam Ecclesiam scindunt.

Novatianum ob fidei odium ab infidelibus interemptum discipuli ejus jactabant. Quidquid sit, martyrium extra Ecclesiam toleratum *perfidie poenam, non coronam justitiæ* esse merito censet Cyprianus. Veriorem martyris gloriam adeptus est S. Hyppolitus, qui Novatiani quondam partes secutus, cum ob fidei constantiam ad supplicium duceretur, & à plebe eum secuta rogaretur quæ secta esset melior, teste Prudentio

Prudent.
Hymno
II. de coronis.

Respondis: Fugite o miseri execranda Novati Schismata: Catholicis reddite vos populis.

*Una fides vigeat, prisco qua condita templo est,
Quam Paulus retinet, quamque Cathedra Petri.
Que docui, docuisse piget: venerabile martyr
Cerno, quod à cultu rebar abesse Dei.*

Aliter martyr ille moriens sentiebat, quam senserat vivus. Nemo æternitati proximus doluit quòd in Ecclesiæ gremio moreretur. Mors Schismaticorum terribilis. Multos vidimus, morte appropinquante, Jansenii & Quæsnelli abjurare sectam, quam valentes fuerant secuti. Alios habet mors oculos, quam vita.